



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 195. Quid enim mali fecit. v. 22.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

stantia: quæ quinto ab hinc die lætissimis verbis cantu, etiam actionibus
 eodem exceperat: nunc diris vociferationibus ad crucem efflagitat: motu
 crucis quæ Barabbæ debebatur vt latroni: ex legibus Romanis, vt homici-
 cidæ, ex instituto Iudæorum in Christum innocentem transfereatur, & non
 attenditur quo iure?

NUnquam digne mortales deprædicare poterunt: quod tu ô Pater æ-
 terne, tu spiritus sancte Deus, Tu ô Saluator fili Dei, nos, quos Barab-
 bas referebat, scelestos ac facinerosos præferri sinteritis vitæ diuissimæ,
 honori ac saluti sanctissimæ humanitatis Dñi N. Iesu Christi in æternum
 erit hoc admirationi omnibus saluatis.

§. 194. *Ille autem tertio dixit ad illos. v. 22.*

Desiderabat adhuc Pilatus illis adeo effreni modo clamantibus,
 Dominum è manibus illorum liberare, si non tanquam iustum & ius-
 tum, saltem tanquam iniquum & iniustum. Vnde cum iam omnem lap-
 idem mouisset: tam refellendo argumenta ipsorum in genere, quam &
 accusationes in specie: adducendo etiam Authoritatem Herodis & testi-
 monium; & sui ipsius examinationem rigidissimam, & in omnibus, in quibus
 eum accusabant inuentam innocentiam, quod a tot alijs quoque iu-
 dicibus examinatus à nullo iudice esset damnatus omnes potius eius iu-
 dices, siue prophani, siue sacri innocentiam eius testes essent obstupescens
 peruiticiam clamantium ministrorum & ciuium à Pontificibus peruerso-
 rum, incipit cum eis disputare, vt æqualis, qui erat eorum superior. Et hic
 est tertius gradus descensus Pilati ad iniquitatem, nempe ex iudice fieri
 sodalem & consultorem iudicij fieri, qui erat accusator.

O Deus serua omnes Iudices, Magistratus & potentes ne in tales pellic-
 cas incidant, in quas se miser ille Pilatus sensim inuoluit.

§. 195. *Quid enim mali fecit. v. 22.*

Attendamus gnauiter, quid iam tandem pressi dicant accusatores
 Christi? Ego nihil audio, si quis audit aliquis, dicat: sed neque Euangeli-
 listæ aliquid audierunt; & ideo nihil scripserunt. Ecce sic confusi, & Prin-
 ceptus & populus tacent. Nesciant enim quid Pilato respondere possint.
 Vnum volunt, cuius rationem dare non possunt, volunt enim mortem Ie-
 su: causam mortis nesciunt. Quid autem hoc est? estne hoc humanum? ne-
 quaquam, est insanientium, est obsessorum à dæmonio: sed hæc permittit
 Deus pro isto die & hora, vt exiret de diaboli potestate humanum genus
 sine vltiore mora.

O di-

O diuinæ iustitiæ seueritas in filium Dei vnigenitum; quomodo desauies in seruos & peccatores? Parce Domine, parce, & non intres in iudicium cum seruo tuo Domine; timeo enim, & merito seueritatem iudicis Dei peccator miserimus, si ita in inuocentem filium propter peccata mea desauisti.

§. 196. *Nullam causam mortis inuenio in eo. v. 22.*

Non capio quomodo Pilatus tam constanter affirmet *innocentem Dominum, nullam in eo esse causam mortis &c.* Miror quod non crediderit affirmantibus Iudæis ipsum esse malum. Aliquid diuinum agnosco in illa constanti assertioni: quomodo enim homo per tot, tantosque clamantes, & accusato tacente, non induceretur vt crederet esse vti clamantes dictabant? Dico igitur me obstupescere & mirari illam asserendi constantiam, & esse miraculosam; nobis autem vtilissimam: quia si Pilatus credidisset accusationes esse verosimiles, multum de gloria Christi & religionis nostræ splendore dimisisset: quod vt non fieret, Deus gratia sua efficaci in Pilato præcaute illum illuminando, vt peruideret innocentiam & in hoc confitendo teneret perseverantiam insolitam.

O Peccatores, aduertite, iste Pilatus gerit se, vti in vobis se solet gerere dictamen conscientiæ. Hoc constanter dicit veritatem; sed Principes Iudæorum habent se, sicuti in vobis solet se gerere voluntas, ista in vobis contra dictamen rationis tendit in id quod allubuit. Hoc speculum quæso ante oculos habete, & quoties male agitis huius rei mementote.

§. 197. *Corripiam ergo illum. v. 22.*

Quid audio? Tu Pilate dicis, esse *innocentem Christum*, quod est antecedens, & inferis, *ergo corripiam illum*. Qualis est ista æquitas iudicij? innocentem emendare? irreformabilem, reformare? credo potius quod velis emendare, seu deteriorem facere: cæteri homines semper habent vnde emendentur. Iste solus est inter homines emendationis liber.

Domine Iesu, splendor paternæ gloriæ, corripe me hic per pœnitentiam, dum satisfacere possum pro peccatis meis, vt merear, cum sanctis tuis & electis, videre in cælis splendorem tuæ innocentiam male quidem sed fœlici euentu pro me correptæ à Pilato.

§. 198. *Et*